

P. Aemilius Viscontini

(1888-1957)

Prov. Bonaërensis



P. Aemilius Viscontini die 5 april. 1888 natus est Bonis Auris. Scholam iuxta nostram ecclesiam sub directione Sororum Caritatis a S. Vincentio frequentans, Patribus nostris serviebat in functionibus sacris. Cum anno 1902 iuvenatus huius Provinciae in domo ad B.M.V. sub titulo de Victoria conderetur, Aemilius adolescens primus in eum alumnus cooptatus est, ita ut omnium, qui postea ex hoc iuvenatu processerunt, Redemptoristarum signifer merito habeatur. Noviciatu in domo nostra Montisvideana rite peracto, die 5 maii a. 1908 vota professus est perpetua. Studiis philosophicis ac theologicis in studentatu Geistingen sollerter incubuit.

Die 10 aug. a. 1913 sacris initiatu Coloniae in Germania, die sequenti in ecclesia nostra Geistingen primam Missam litavit. Studiis absolutis crudelique bello interim exorto, nihilominus Bonas Auras appulit, ubi optime laboravit. Anno 1924 lector in Iuvenatu renuntiatus est, et non multo post Director per 5 annos; Rectoris officium in Bella Vista aliisque domibus implevit per 8 annos et Magistri Novitiorum munus summo cum fructu per 7 annos.

Ad missiones proprie dictas rarius exiit, sed uberrimam collegit messem praedicandis sermonibus, novenis, triduis atque praesertim exercitiis spiritualibus, quae religiosis utriusque sexus ac clericis tradidit.

Si vitam defuncti Patris interiorem inspicimus, magnam invenimus pietatem, summum vitae regularis studium et filiale erga Congregationem sollicitudinem. Ex hoc amore evasit Calendarium quoddam Congregationis et Provinciae, ubi singulis diebus recordantur facta conspicua S.P.N. Alfonsi, Capitula Generalia, Patres celebres, defuncti Provinciae, secundum verba Psalmi 77: Legem condidit in Israel, ut quae mandavit patribus nostris, nota facerent filiis suis ... ut ponant in Deo spem suam neque obliviscantur opera Dei.

In elucubrandis exercitiis non tritas calcabat vias. En quomodo processerit in exercitiis quae dedit nostris Fratribus Studentibus anno 1956. Fundamentum ei subministravit Encyclica illa pulcherrima: *Haurietis aquas ...*, paucos menses antea in lucem edita; conferentiaeque etc. originem duxerunt ex invocationibus litaniarum in honorem Sacr. Cordis Iesu; ut meditatio de morte, ex invocatione: Cor Iesu, spes in te morientium ... Ipse Pater non labiis, sed toto corde et affectu, verba fecit quae Studentium animos ita penetrarunt, ut p[re]ae omnibus exaltarentur haec exercitia.

Apostolatum quoque calami exercuit P. Viscontini in edendis opusculis S.P.N. Alfonsi, etc. In his laboribus mors ipsi opusculum corrigenti ictum inflixit mortalem per paralysim. Infirmus 53 dies morbi molestias patienter sustinuit exspectans adventum Domini Iesu, qui eum recepit morte placidissima die 12 maii 1957. R.I.P.

GUL. HERLITZIUS, C.SS.R.